Cracoviae. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1719 26 Octob.

Barszczewski Joan. Animus ex certamine erudito victor

ANIMUS,
Ex Certamine Erudito
VICTOR.
In X. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis
OBSERVATUS:
Ac dum,

A

CLARISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO,
D.M. MELCHIORE KICINSKI,
Philosophiæ DOCTORE, Collega Minore,
Matheseos, & Astrologiæ Ordinario PROFESSORE.,
Artium Liberalium & Philosophiæ
BACCALAUREI,
In Augusto D. Iagelonis Lycæo,
In Magnorum Hospitum Præsentia
Ritu Solenni
RENUNTIARENTUR:

A

JOANNE BARSZCZEWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
ORE POETICO
DECLARATUS.
Anno ad Victorias descendentis DEI, 1719. Die 26 Octobris.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Rndissimi D. Episcopi Crac: Ducis Severiæ, necnon Schol: Novodvorsc: Ord: Typogr.

1.

In Gentilitium Stemma.
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS BELCHACCIORUM.



A Campo quondam voluit dare Nomina Sclauuis
Lechus, mox (meditans) hæc facienda probat.
Arripit en Vestram manibus, vibratq; Securim,
Quæve Nemus fuerat, facta Polona plaga.
Hinc Domui Vestræ consurgit gloria magna,
Ascia quod Lecho, manserit ista Comes.

ILLVSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. ANTONIO
De Gledźiánow
BEŁCHACKI,
NOTARIO CASTRENSI CRACOVIENSI,
Domino, Mecænati Amplissimo.

IN *fronte operis Victor animus triumphat: sed dum ante faciem Tuam prodit, triumphalia exuens Ornamenta, se Tibi, ac operam hanc cedere in spolium annuit,* Illustris ac Magnifice Domine. *Romæ etenim in Amphiteatro Orbis totius versari videor; dum in laribus Tuis consistens Domûs Tuæ fascibus instructam, securibus armatam conspicio Majestatem. Nam vix atrio tot Majorum Tuorum ceris Illustrissimo pedem infero, protinus quamlibet, Aboriginum Tuorum conspicio imaginem, ad eam se conferentem* Asciam, *quâ omnes sibi, meq, animumq ad debitam Domûs, ac Tui excitat venerationem. Et*

A quam-

quamvis hæc Pagina Heroum gravescat animis, facilè tamen in profundum Tui movetur Cultum. Iam enim stellifero altior Olympo Jovis Indoles, non Gyganteâ violentiâ, sed Tua benevolentia infra Te submittit. Jam Hercules, Monstrorum Domitor, tum se Victorem existimat gloriosum, cùm Tuæ militat Gloriæ. Jam sublimis Ajacis mens importuno Vlyssi facilè arma sibi debita concedit, cùm se Asciam *Tuam versaturam appromittit. Nec Palladi adeò sua Cordi Hasta dum in Gentilitijs Tuis armis promptiorem acutioremq; observat stylum. Omnis deniq; Heroum, qui qui illi sunt, manus avida hoc vibrare ferrum, quô olim, imò & nunc Victoribus* BEŁCHACCIIS *laureta excinduntur. Et certè, justè hæc Laureatarum Mentium unita, ac ferè confæderata est cogitatio: ut sub magni Nominis Tui labaro mereantur stipendia, cùm maxima benè merendi materia ibi pullulet, ubi in gratiam Tui Clientum accrescunt studia. Verè enim Regiam ingrediuntur Domum, qui obsequenti Pede in Domo Tua consistunt, quam si non sors, certè Virtus Majorum, ac Tua in tantā asciavit Magnificentiam. Longum esset iter, si curiosum ingenij passum, in antiquitatis dirigerem addita initia Domûs Tuæ investigaturus. Excedit illa sæculorum memoriam, supra omne Tempus se evehit, quia solidis meritorum innixa fundamentis cæpisse memoratur, sine tamen Temporis determinati mentione. Ach ij essetis (uti ita est)* Illustrissimi BEŁCHACII, *Tuq;* Illustris ac Magnifice Domine, *qui omnium primi subsequentia sæcula, solo tantùmmodò donastis Vestræ antiquitatis stupore. Vbi adhuc hoc in Vobis observatur prodigium, quod licet Vos Heroum altrix Polonia Veteranos adoret, ijdem estis Orbi, Septemtrioni Regno, Virtute, meritis, Consilio notissimi, æstimatissimi. Vos omnes tales, tantosq; arctis limitare Periodis Vestræ magnitudinis non est proportio. Infimum enim est, quidquid de Domo Vestra dicitur, cùm se nequeat tollere Oratio ad Honoris Vestri, ac meritorum fastigium. Serpit per ima omnis dictio, quæ in laudes Vestras excurrit: & parum se processisse lingva ait, quæ in vestrorum encomiorum Culmine nititur consistere. Satis itaq; erit mihi memorasse, quem recentia in Rempublicam merita nostris mentibus inscripsêre. Fratrem Tuum germanum,* Illustrissimum *olim ac* Magnificum Dominum BALTHASARVM de Gledźiánow

BEŁ-

D. IOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, & Almæ Academiæ Cracov:

PATRONO.

Animorum ad Victorias Laureatas

CORYPHÆO.

ODE VOTIVA.

Cum Epigraphe:

TU PATER UNUS ADES.

IMa dum ſummis ſocianda ſurgunt,
Non ſuis fidunt humeris, ſed almi
Numinis poſcunt manibus juvari,
Omine fauſto.
En ſpei tantæ, Capitis Coronam,
Cujus eſt Cæli favor adminiſter:
Nam Polo ſemper fluit omne largo
Flumine donum.
Siderum Præſes, Dominator Orbis,
Cuncta qui fecit DEVS, omne noſcens,
Te creans Sanctum, voluit micare hoc
Munere, CANTI.
Vt preces noſtræ ſubitum juvamen,
De Polo miſum videant: modeſtus
Quas Tui Cultor ſtatuit ſub Aram,
Te redolentem.
En Cohors lauris redimita doctis,
Turba Muſarum ſocianda dextris,
Proſperum finem petit, ergo tanto
Annue voto.

Te Scholæ Patrem, veneramur Almæ,
Cùm Tuo nutu facit illa quæquæ,
Credo, decernet bona, nosq; charo
Pectore stringet.
Si priùs nostris precibus serenum,
Tu dabis vultum, benè cuncta cedent
Laureis, quas Tu manibus sacratis,
Tange Beatus.
Nam virent frondes, hyememq; spernunt:
Quæ Tua gaudent benedictione,
Hæcq; succisæ tribuunt honorem,
Multa scienti.
Culmen id passu celeri subire,
Summa votorum fuit, estq; nobis,
Cælico vultu renitens, viarum
Invia tolle.
Instar es solis, niveaq; splendes
Luce, dispellas nebulosa circum,
Et vehas horas, meliore comptas,
Temporis usu.
Pectoris grati, scio, vota certas,
Finis assument placidi coronas,
CANTIO nostris faciem serenam,
Dante petitis.
Non, Tonans Almo dominatus Orbi,
Quæ volet Divus fieri negabit,
Nutui sese dabit omne faustum,
Supplice Patre.
Aureó nubes pluet imbre, jam jam
Nectaris nimbus fluet; viva nobis
Muneris tanti documenta spondet
Lætus Apollo.

Perillu-



Perillustri, Clarissimis ac Excellentissimis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. MATHIÆ ZIĘTKIEWICZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori Vocato, Contubernij Iagelloniani Seniori, Cursus Vladislaviani Professori, ac intereà Facultatis Philosophicæ

D E C A N O.

Perillustri, Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. FRANCISCO HIERONYMO PLUCINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, Ecclesiarum, Cathedralis Kijoviensis CANONICO, Collegiatæ Cracov. S. ANNÆ Archidiacono, Parochialis in Łętkowice Curato.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. MELCHIORI KICINSKI,

Phil: Doctori, Collegæ Minori, Matheseos Ordinario Professori.

Cum Epigraphe:

Hinc Animus Victor.

PRæses Apollo Montis, Eburneo
Assurge lecto, dicq; sororibus,
Currant, recurrant, & locorum
Cuncta suis subeant ocellis.
Quærenda promptis gloria passibus,
Et quo sub antro fama, Cubilia
Superba stravit, porticumq;
Egregijs decoravit actis.
Tum si citatis saucia cursibus
Quietis, almæ suscipit otia,
Clamore Musarum petita,
Mox placidum renuat soporem.
Rumpat morantes pollice somnij
Nexus, & omnis conscia roboris,
Instauret axes, & quadrigis
Per gemini vehat orbis Astra.

Laudis Virorum, quos Academiæ
Præclara Noſtræ lumina cernimus,
Qui ſolis æmuli nitentis
Ingenio radiante fulgent.
Eſt digna Virtus, ſcandere culminâ
Honoris alti, dignaq; currere
Per Ora multorum, reportans
Præmia parta labore ſummo.
Jam fama curru conſtitit Aureo
Jam narrat Orbi, Ternio maxime,
Viciſſe nos, veſtro favore,
Quæ ſuperanda fuere nobis.
Vox prima laudum, victima gloriæ,
Narrande prodis, vivide ZIĘTKIEVI
Honore præcurrens Sophorum
Agmina, tum decus omne Muſæ.
Quicunq; tantis dotibus ingenij
Gaudent, Tuos hi mittere non valent,
Actus, ſilentio, laborum,
Quos memores facit ipſe rumor.
Athlanteis dum viribus arduas
Cauſas Lycæi, (pondere neſcius
Frangi) tuliſti, ferre doctus
Hæc quæ alios humeros fatigant.
Et hôc videmus, temporis ambitu
Curæ graves quàm Te ſuper incubant,
Curſus biennio legendus
Stoaq; Principe digna tanto.
Quæ Muſa plaudet tot meritis Tuis
FRANCISCE, Noſtris qui ſtudioſiùs
Vultum dediſti, ferſq; rebus,
Subſidium tribuens benignum.
Myſzkovianis Te canit in Scholis
Apollo primos fundere rivulos,
Sudoris almi: nam Camœnas
Imperio dedit ille præſtò.
Tuo, ſed amplæ ſat ſapientiæ
Anguſta multum tanta Colonia

Te

Te, Craciæ cessit Minervæ
Lux ubi magna nitet Virorum.
Et ut Platonem, Rex Dyonisius,
In classe vectum Siciliæ dedit,
Sic Te Iagello doctus, hicce
Classibus intulerat supremis.
O quàm secundo vecta favonio,
Per tot procellas est Schola Rhetorum,
Sed Præsidem quæ nacta doctum,
Invidiâ luit ecce raptum.
Dum fata nostris invida commodis,
Posnaniensi præpositum loco,
PLVCINIVM vix reddidere,
Ore loqui bene nunc docentem.
Hanc do duobus laudis adoream,
His plaudo votis, & Tibi tertio,
Doctæ Mathesis cultor alme,
Sidereæ regionis astrum.
Certè, KICINSKI, Nomine Melchior,
Adfers stuporem, quòd penetralia,
Noscas polorum, ac si fores is,
Qui Domino veniente, stellam
Secutus ultro; sed labor anxius
Demonstrat à Te mente polum capi,
Hinc summa scande dignitatum,
Pervia nam Tibi sunt suprema.
Hæc Vestra magni præmia sunt Viri,
Cùm grata nôstis pectora gratijs,
Vestris onusta; pandimus nos
Corda suis spoliata peplis.
Videte nostrûm, viscera Candidis
Spirare votis, quatenus ordinem,
Hunc fata servent ut beatos
Clotho dies neat, atq; vobis,
Fortuna, faustis curribus, omnia
Rotet, sciant & sæcula posterûm,
Vos vos, Clientibus benigna
Lumina, sæpè fuisse vestris.

ANIMUS
Ex Certamine Erudito
VICTOR,
In X. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,
OBSERVATUS.

I. V. D. NICOLAO PVKINSKI,
Animus Iovis, in domandis Gigantibus, Conſpicuus attribuitur.

SÆcula, ſi retro Vates conſpexero, ſemper
Hoc Patres noſtri, ſic voluere ratum:
Vt, qui monſtraret Martis certamine robur,
Non moritura foret ſortis imago bonæ.
Aſſumpſit quondam victricia Iupiter arma,
Et narratur nunc interijſſe Gigas.
Fulmine nam domuit refragâ mente tumentes,
Laudandas vires dicimus eſſe Iovis.
Omnia, PVKINSKI devincis ſax a curis,
Quo facto poterit, mox Tua Fama mori?
Primam Te voluit Pallas decerpere laurum;
Nobilitas etenim digna præire loco,
Digna legi prîmos per faſtos carmine primo,
Ante alios & nunc concelebranda venit.
Si Iovis eſt, magnos nimiùm terrere Gigantes,
Nec deſunt membris pondera preſſa Tuis.
Quod volvo, dubium libris hunc cerno Gigantem,
A Te, vix cretum jam perijſſe lego.
Macte animo Frater, ſub lauru fortia ſpira,
Et fictô certè, Tu, Iove major eris.

II. V. D. IACOBO HANICKI
Animus Æneæ, in exportando de Incendijs Trojanis Anchiſe Patre, inſignis.

INtegram nemo ſine laude vitam
Eſſe ducebat: probus eſtq; ſemper
Hic honor vitæ datus eleganti,
Sacraq; laurus.

Bella

Bella Trojano, satis acta dextrè,
Dant Duci laudem, tamen ille factis,
Clarior Sanctis, facili cothurno
Fertur in orbem.
Non deest pulcher Tibi flos, HANICKI,
Artium compos Animus bonarum,
Nam Tuam mentem melior Minerva
Incolit amplè.
Præter has dotes, Tibi mens modesta,
Ad decus lauri, tribuit juvamen,
Vtra Te virtus, video, peralta
Scandere mandat.
Prima, jam dignus, loca posidere,
Vt magis crescas meliore fato,
Hoc loco, prendis nitidam, secundus,
Ordine laurum.
Inde procedas, patet ampla semper,
Indoli magnæ via, nonq; summum,
Culmen attingi pede, denegabunt
Invida fata.

III. V. D. CASIMIRO BORKOWSKI, Animus Themistoclis, in Vincendo XERXE IMPERTERRITVS.

BEllis ferre manus, decor,
Et Marti, Patrijs sedibus invido,
Vltro pectora fidere,
Incrementa fluunt maxima gloriæ.
Istâ, lege Themistocles
Audax, oppositis tela Cohortibus
Insigens domuit minas
Cum quo laurigeris cingere fascijs,
Frontem, Te decet, optimo
Qui de consilio Palladis, obtines
Stoam, turgida perdomans,
BORKOWSKI, *Studij deliciæ probi,*
Comis Cultor Apollinis,
Iam jam, lustra suo cardine plurima
Cessere, ut vigiles dies,
Et noctis spatium das sapientiæ,
Te non invalidum notat,
Musarum Dominus, cuncta satis bona

Enarrans animi Tui,
Hinc CASIMIRE nitens tot decorum notis,
Hanc nunc sume Coronidem
Votorum, minor ut nemine prodeas.

IV. V. D. SEBASTIANO KAZIROLSKI,
Animus Vlyssis.

MOdis honorem pluribus aureum,
Tentare norunt, quos humili loco,
Virtutis ardor, esse, summus
Impedit, & prohibet, remissô
Statu teneri, præmia frontibus
Feruntur his, quæ non pavidæ volunt,
Sufferre curarum procellas,
Et rigidis agitantur Austris.
Audax Vlysses bella per omnia,
Pectus periclis objiciens feris,
Se ad culmen alti nominis sic,
Per medias tulit ensis iras.
Talis videris, Palladis in Schola,
Heros, coæquans magnanimos, gravi,
Mentis Tuæ capacitate,
Hinc cupiens renitere lauru.
Non vota fallunt Te KASIROLSCIVM,
Optata laurus nam Caput incolit:
Quâ dum coronatus coruscas,
Alta Tibi veniant regenda.

VI. V. D. IOANNI PAŁASZOWSKI,
Animus Herculis, in perdomando Acheleo, se, tempore pugnæ, in varias formas transmutante, NOTABILIS.

ALcmenâ genitus, bellisq; probatus acerbis,
Hæc reperit duræ tandem certamina pugnæ.
Victor ubi dubiâ captavit sorte triumphos,
Et fatum, tanto vix non Acheloe tulisti,
In varias Monstri formas sinuare sciens Te.
Ast animus, semper qui est dignus ab Hercule pandi,
Arte putat superare gravis molimina spectri.
O quantum cujusq; sit ignorantia monstrum?
Victa tamen plangit, noster PAŁASOVIVS ensem

Dum

Dum stringit mentis. varijs licet obvia formis,
Iam superata manet: cedit jam laurea tanto
Heroi, nec deficiunt sua Munera laudum.
Hunc natum, vincendo ornat revocatio rerum,
Et gravitas morum, non expers luminis almi;
Qui noscens Fratrem laurûs adijsse decorem
Pro lauro statuit, doctos sufferre labores.
Ambiat ergo Caput, tum frontem hæc vitta coronet;
Pro qua tot curas tenuit PAŁASOVIVS audax
Herculis ille bonas dotes comitatus opima
Præmia sortitor, Vivax per tempora multa.

VII. V. D. FRANCISCO GOCZYNSKI, Animus Ajacis, de Armis Achillis cum Vlysse contendentis.

EXtinctus fatis Heros memoratur Achilles
Litibus assiduis exagitasse duos,
Ajacem dico tum fortem pectore Vlyssem,
Arma Viri rixæ causa fuere boni;
In trepido verò poteras spectare duello,
Ajacem primo viribus esse parem:
GOCZYNSKI validè certans de Palladis ampla
Lauru, Virtutis conspice signa Tuæ.
In nostrûm charo numero bis quinque Virorum,
Vnus præcellis, fortior unus ades.
Athletam nam quod commendat robur alacrem,
Vividus hoc animus monstrat inesse Tibi.
Cerne tuos actus, & verùm, hac lege videbis,
Impavido quod tu pectore digna geras.
Si taceam laudes FRANCISCE, Lycæa loquentur,
Te, Sophiæ nodos dissecuisse citò.
Plus addam, propenso dum præcordia Patrum
Devincis studio, summa trophæa meres.
Ergo caput lauro submittens, maxima quæq;
Prendas, & summis Te gere sæpè parem.

VIII. V. D. IOSEPHO MODELEWSKI, Animus Achillis.

ARma Virumq; canens, dubium si cessit Achilli,
Excito tum liti, finem volo, præcipe Lector.
Quem fatum rapuit, tum quem sors Mortis iniquæ,
In medio Trojæ Vrbis supplantaverat æstu,

 Major

Major erit, quàm sit noster MODELEWSCIVS Heros!
Concedat palmas manibus, quæ fortibus actis,
Nunc laurum meritæ, post non moritura per orbem
Gesta Viri tollent; hic nam MODELEWSCIVS esse
Orbe sciatur in omni, qui se Palladis aræ
Adjungens statuit, jurans non cedere Campo,
Huic totus virtutis honor certamine cunctô,
Imperat in magnæ laudis, Capitolia ferre,
Ingenium. Pallas doctis conjuncta Camœnis
Hæc jam serta parat Capiti, quæ fortis Achilles,
Non habuit, majus dico, nec mente revolvit.
Et reddit pignus Pallas, dum fronde Coronas,
Hoc Caput Augusto, surgens quod vertice doctis,
Frontibus est mirum, tantis quis dona negabit,
Larga Viris! quorum numero MODELEWSCIVS unus
Laurum, vittatas frondes, in præmia sumat.

IX. V. D. ALBERTO FRANCISCO PŁACZKOWSKI, Animus Hectoris.

PLectro Musa mihi barbita tangere,
Commendat memorans dulce sonantibus,
Dignos carminibus, qui sua pectora
Portant Hostibus obviàm.
De quorum numero, non minor Hectore
Compares video, viribus impiger,
Cantu digne meo, tum celebris sacro,
PŁACZKOWSKI, modulamine.
Lauru Tu renitens concipe gaudia,
Victor, tum spoliis læte scholasticis
Gaude, non levibus plausibus ardua
Te vicisse repagula.
Morum præsidio grande decus Tibi
Promanat: celeri mentis acumine
Optantes veniunt, culmina maxima
Curis præmia sint tuis.
Sub Lauro Capiti quærere gloriam
Consultum validis. Laurea sic virens,
Te clarum tribuat, tum faciat novo,
Semper lumine splendidum.

X.

X. V. D. BARTHOLOMÆO CIESIELSKI,

Animus Palladis, difficultates Scholaſticas glorioſiſſimè ſuperantis.

IN Mentis thalamo, vitæ quæ ſuſcipit auram,
Et quæ Materno, pectore neſcit ali,
Chara Iovis ſoboles, Pallas dum creverat annis,
Altiùs hæc animum, ſuſtulit uſq; viris,
Iam galeam Capiti, jam dextræ ſpicula jungens,
Oblatum præſtò, ſuſtulit enſe malum.
An non Palladis hic noſter CIESIELSCIVS auſu,
Vt lauro cingat, tempora multa domat.
Strenuus hic victor Poſnæ, dum dogmata linquit,
Hic plauſus, palmas, digna trophæa capit.
Et decet ingenuam mentem ſuccreſcere donis,
Præmia ſic menti, frondea calcar erunt;
Hinc quia ſpem de Te, Pallas præconcipit amplam,
Fronde Tibi frontem, BARTHOLOMÆE ligat.
Crede meis dictis, verum nam dicere cogor,
Laurea quòd niteat, vertice digna Tuo.
Nam labor aſſiduus, tum longa cupido ſciendi,
Vt vireat laurus, ſollicitare ſolet.
Hinc ſi me Vatem fieri vis certa loquentem,
Ob doctos actus, Te ſciet omne Caput.

V. V. D. IOANNI BARSZCZEWSKI,

Authori Operis, in vim Fraterni affectûs.

V. D. SEBASTIANVS KAZIROLSKI,

Ejuſdem Laureæ Candidatus.

Animum Iaſonis, Aureum Vellus feliciter deportantis, attribuit.

IAm noſtra portûs, Anchora Margini
Adhæſit, audax & nimium polus,
Poſt tot procellarum pericla,
Nos tenui recreavit aurâ.

Solvenda malô, lintea ſunt citò
Tum tranſtra remos navita negligat,
BARSZCZEVIVS nam Dux Carinæ,
Iam petit ore cani diſerto.
Novenna fortem turba ſonet virum,
Et laude laudes, pendat amor Tibi,
Qui noſtra Iaſon, mente firmans,
Laurigerum advehis uſq; portum.
Non vellus opto Colchica quod bidens,
Miniſtra lanæ porrigit aureæ,
BARSZCZEVIVS nosmet canendo,
Laude triplum, tulit ecce donum.
Hic, Matris Almæ, pectora nunc petens,
Aſſurgit in ſpes, vir bonus optimas:
Nam promptus altâ mente cernit,
Non humiles aditus decoros,
Laurum virentem, fronte gerens parem,
Lauro ſacravit præſcius indolem,
Encomio dignus venuſto,
Munere tum meritum decente,
Hinc qui ſonanti Carmine nos canit,
Conſcendat altum Nominis eſſedum,
Honore florens, ſemper amplo,
Omne bonum legat in triumphum.

Eidem Authori Operis,

V. D. ALBERTVS PŁACZKOWSKI,

Mutuum grati pectoris Symbolum, Amoris & Benevolentiæ ergò teſtatur.

Animum Homeri non bellum Trojanum, ſed novem animos ex erudito certamine triumphantes deſcribens.

QVi multos animos in parvo ponit acervo,
Hunc ab utrinquè beant, commoda multa Virum;
Non aliter quàm dum concurrunt flumina ſecum,
Lympharum ſemper copia major adeſt.
Ditior eſt aliis, plures qui poſsidet agros,
Hic magis unita proſperitate viget.
Cui placuit cunctorum animos ornare coronis,
Curas commemorat, quas animus repetit.

Fert

Fert inquam causas tantarum expromere rerum,
Quis Te BARSZCZEWSKI scribere, quis poterit?
Vultumq; eximias dotesq; Tuas, magè mentem
Effigiare piam? gratia namq; manes;
Dum Tu non solùm nomen gestare IOANNIS,
(Huîc nil non gratum pectore semper agens)
Cerneris; ast re ipsa censeris ubiq; IOANNES,
Cujus viva animo fulget Imago Tuo.
Extra me rapiebar amans, spectansq; laborem,
Quæ Tibi tam merito, munera grata darem,
Dignus es, ut grati pulcherrima dona Patroni,
Et doctæ referas laurea serta Togæ;
Et quia nunc animos ornasti carmine nostros,
Reddimus ergo tuis, carmina carminibus.



Permissu
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS,
ALMÆ UNIVERSITATIS
CRACOVIENSIS.

